

No. 632. 1373. 2. Sept.

Transsumt der goldenen Bulle K. Karls IV. vom 12. Dec. 1372.

In nomine domini amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio indictione undecima die secunda mensis Septembris hora quasi primarum in coenaculo sive sala castri episcopalis Stolpin Misnensis diocesis pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii divina providentia papae undecimi anno tertio in mei notarii publici infrascripti et testium praesentia subscriptorum constitutus personaliter reverendus in Christo pater ac dominus dominus Conradus episcopus Misnensis mihi notario et coram testibus subnotatis quandam litteram imperialem tenoris infrascripti signo serenissimi principis ac domini domini Karoli Romanorum imperatoris semper augusti et Boemiae regis illustris signatam eiusque bulla aurea typario suae maiestatis impressa bullatam non rasam non abolitam, sed salvam sanam et integram omnique prorsus vitio et suspicione carentem exhibuit produxit et ostendit, meque cum instantia debita requisivit, quatenus eandem litteram fideliter exemplarem copiarem et transsumerem ac in formam publici redigerem instrumenti. Tenor autem praefatae litterae cum signi et bullae aureae descriptionibus per omnia sequitur in hunc modum:

In nomine — No. 621 — decimo octavo.

Bulla vero aurea praesenti litterae imperiali appensa circularis erat figurae, in filis sericeis nigri glaucique sive gilvi coloris dependens, habens ad faciem figuram quasi unius imperatoris imperialibus induti insigniis et ornamentis, sedentis in solio maiestatis, diadema regium in capite, sceptrum in dextra et quoddam rotundum sive sphericum ad modum pomi crucem habens desuper in manu sinistra tenentis, duo quoque clipei in lateribus figurae imperialis, unus a dextris regni videlicet Romanorum figuram aquilae extensis alis, secundus a sinistris regni videlicet Boemiae leonis figuram continentis sculpti apparebant. Et in circumferentia ipsius bullae ad faciem post crucem diadematis intra ipsam circumferentiam comprehensam tales litterae legebantur: Karolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus; intra autem circumferentiam, ubi clipei sculpti erant et super eos hincinde a sinistris et a dextris tales litterae legebantur: et Boemie rex. A tergo vero eiusdem bullae et in eius medio figura unius civitatis quasi muratae, habentis a dextris et a sinistris singulas turres rotundas et in earum pinnaculis cruces desuper, inter quas turres unum propugnaculum cum moenibus et de subtus portale sive valvam, in cuius medio tales litterae legebantur: Aurea Roma, et in circumferentia tales litterae legebantur: † Roma capud mundi regit orbis frena rotundi. Acta sunt haec anno — quibus supra praesentibus honorabilibus et discretis viris dominis Nicolao decano, Johanne de Droynicz archidiacono Nisicensi, Friderico de Milticz praeposito Wurczinensi, canonicis ecclesiae Misnensis, Jacobo in Wysenborne et Heinricho rectore capellae castri Stolpin praedicti in Wygandistorf ecclesiarum plebanis, presbyteris Misnensis diocesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.